



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Spainshartum, magnificentum ac præpotens instituti Præmonstratensis sive
Norbertini, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

fese abdicavit anno 1544. Obiit tandem 16. Calendarum Augusti anno 1546.

19. *Gallus Molitorius*, patria Morfemburgius, ad lacum Acronium natus, eximius Musicus, eligitur anno Domini 1544. Præfuit per unius saltem anni & duorum mensum spatium, & decessit citius, quam antecessor, anno videlicet 1545. ipsa die Sancti Benedicti.

Ravensb. b. rg.

20. *Jacobus Rengerus*, ex Ravenspurgo imperiali in Suevis civitate natus, præsidet non inutiliter hoc adhuc currente Jubileo. Habent in hoc cœnobio celebria sepulchra & reconditoria sua nobiles reguli de Winada, de Stuba, de Essendorff, & de Molbertshaufen.

Meinath. Preffa. Raw- kbulm ca- strum.

SPAINSHARTUM, magnificum ac præpotens instituti Præmonstratenfis sive Norbertini, dioeceseos vero Ratisbonensis cœnobium, in superiori Palatinatu inter Kemmatum ac Preffatum, Palatini Electoris oppida, non procul ab asperi Culmenii altissima Marchionum Brandenburgensium arce in fertilissimo agro situm, fundatum legitur in honorem Beatæ Virginis Mariæ anno Domini 1145. ab Adelfolco de Reiffenberg, ejusq; conjuge Domina Richinza: duobusq; Adelfolci fratribus, Reinholdo & Gerhardo de Reiffenberg, quorum insigne fuit alba turris in rubea planicie. Aliud de his fundatoribus nihil hætenus reperi. Benefactores vero ejusdem cœnobii fuerunt, Otho dux Meroniæ, & conjunx ejus Domina Beatrix, Landgrafii de Falckhemberg: Henricus item, Episcopus Ratisbonensis, Ecclesiæ prius Bambergensis diaconus, qui dono dedit monasterio oppidulum Eschembacense, quod in ea ipsa vicinia situm est. Præpositorum hujus loci talis extat catalogus.

Eschenbach. Præpositorum ordo.

1. *Grimo* præfuit annis sex. Obiit anno 1151.
2. *Wiggerus* annis undecim. Obiit anno salutis 1162.
3. *Comadus* annis septem. Obiit anno 1169.
4. *Rudolphus* annis tredecim. Obiit anno 1182.
5. *Godescalcus* præfuit annis 21. Decessit anno 1203.
6. *Godefridus* sedit ad gubernaculum annis octo. Obiit anno 1211.
7. *Her-*

7. *Hermannus* præfuit annis octo. Obiit anno 1219.
8. *Henricus de Osterhofen* præfedit annis septem. Obiit anno 1226.
9. *Rupertus* annis tribus. Obiit anno 1229.
10. *Conradus* annis sex. Obiit anno 1235.
11. *Heribertus* præfuit annis quinq;. Huic dono dederunt anno Domini 1238. *Fridericus Walpot de Schwerentz*, & ejus filii, *Fridericus*, *Henricus*, *Reinholdus* in castro *Swerentz* habitantes, prædium *Heerlech*, quod antea fuerat *Wernheri militis*, cognomine *Sweronis de Pressat*. Obiit anno 1240.
12. *Henricus* præfuit annis sex. Obiit anno 1246.
13. *Chuno* annis tribus. Obiit anno 1249.
14. *Arnoldus* sedit ad clavum annis quatuor. Obiit anno 1253.
15. *Conradus* præfuit annis septem. Obiit anno 1260.
16. *Joannes* præfuit annis 19. Obiit anno 1279.
17. *Conradus* sedit annis undecim. Obiit anno 1290.
18. *Henricus Egranus* laudabiliter præfuit 24. annis. Obiit anno 1314.
19. *Fridericus* præfuit annis septem. Obiit anno 1321.
20. *Gregorius* præfuit annis quindecim. Obiit anno 1336.
21. *Wolquinus Coloniensis* præfuit annis duodecim. Obiit anno 1349.
22. *Carolus* sedit annis septem. Obiit anno 1356.
23. *Eyhardus Reutter* decessit anno 1365. cum præfuisset annis novem.
24. *Martinus Erlebeck* præfuit annis 21. Obiit anno 1386.
25. *Henricus Sack* obiit anno 1397. cum sedisset annis undecim.
26. *Engelhardus Wildius* præfuit 9. annis. Obiit anno 1406.
27. *Conradus Bergelius* sedit annis 27. Obiit anno 1433.
28. *Jordanus à Neufess* præfuit annis viginti quatuor. Obiit 17. Augusti anno Domini 1457.
29. *Georgius Taurus* à *Guntzendorff* eligitur 18. Augusti ejusdem anni, visitator & reformator monasteriorum *Bohemiæ*

Yyy 3

omni-

omnium. Is anno 1459. interfuit capitulo generali ab ordinis Præmonstratensis asseclis & primatibus celebrato ad S. Quintium in Normandia, ubi ex præposito primus hujus loci Abbas factus est, Pontificalia insignia impetrans à Bessarione Græco, Cardinale & Apostolicæ sedis legato de latere. Bullam hujus privilegii Dominus Hermannus Ochs, frater Conventus, Viennæ operam dans literis, à legato redemit 45. Rhenensibus. Fuit bonus œconomus & utilissimus gubernator, fecit magnum lacum vicinum monasterio. Pater eximius, pius, affabilis, benignus, principibus pariter vicinis ac subditis omnibus charus, præfuit in magna tranquillitate annis 46. Obiit anno ætatis 83, Christi vero anno 1503. die 17. Augusti.

2. *Hermannus Taurus à Wolffbartshoff* eligitur anno Christianorum 1503. Erat juris Canonici Licentiatius, vir (ut ista adhuc tempora ferebant) mediocriter doctus. Sub hoc Abbate in bello Bavarico, inter Philippum Palatinum & Albertum Bavarum gesto, Fridericus Marchio Brandenburgensis occupare conatus est cœnobium sibiq; subjicere, tum videlicet, cum à Wunsidensis oppidi præfecto, Alexandro Luchoviano, Waldassum incendio vastaretur. In qua expeditione plurima damna cœnobio Spainshartensi illata sunt. Hermannus igitur confectus jam senio, & periculis tantis non sufficiens anno 1505. libere resignavit gubernaculum.

3. *Conradus à Wichsenstein*, vir liberalis & hospitalis, egregia corporis statura & insigni vocis suavitate præditus, eligitur 15. Januarii anni 1505. Præfuit annis 17. Obiit anno Christi 1522. mense Junio.

4. *Joannes*, nobilis heros ex Ostrofrancis de Egloffstein, artium Philosophiæ Magister & Decretorum Baccalaureus, vir eximia virtute præditus, eligitur anno Christi 1522. decima quinta Kalend. Junii. Præfuit annis 17. laudabiliter & utiliter, vir pacis conservandæ & discordiarum inter principes viros componendarum pio ac vere Christiano studio mortalium nemini secundus. Obiit anno 1539. Sepelitur cum tali epitaphio à me illi composito.

D. O. M.

*Nobilis
de Egloff-
stein Phi-
losophiæ
Magi-
ster.*

D. O. M.

Reverendo in Christo patri ac Domino, D. Joanni ab Egloffstein
artium ac juris Magistro, heroi nobili, Abbati Spainsbardiano quar-
to, concordie & pacis studiosissimo H. M. ad posteritat. memoriam
P. est. Obiit feliciter XVI. Maii anno Christianorum 1539. Vixit
annos circiter LIII. Præfuit annis XVII.

Additum est vero huic monumento sequens etiam distichon,
cui annus (quo optimus Abbas ex hac vita decessit) per literas nu-
merales insertus est: mensem ipsa carminis sententia exhibente.

RVra sVas VIoLas, teLLVs habet aVrea sLores,

CVM SpanshartensI reCtor In arCe rVit.

5. Joannes Gries, & ipse vir nobilis, subrogatur Egloffstei-
nero. Præfidet cum Joanne Gleiffentalero, & generis nobilitate
& egregia virtute prædito mediocriterq; litterato juvene, hoc
adhuc currente Jubileo, semper ferè valetudinarius.



SUMMUNTORIUM vel Alta specula, Germanice Hohenz
Swart / celebris olim arx Comitum Turensum, qui inter
Halam & Oenipontem antiquitus habitantes, ab hac arce Co-
mites quoq; de alta specula vel Hohenwartenses dicti, arcem
etiam Schrobenshusianam condidisse perhibentur: nunc vero
monialium Benedictinæ professionis & Augustanæ dioeceseos
elegans in amoenissimoq; monte ad Parrium fluviolum situm
cenobium, fundatum & ex arce in oratorium, ex domo ve-
nationum & voluptatum in precationum & honestorum stu-
diorum domum conversum est à Rapothone, Comite de Tau-
ris ejusq; conjuge Hemma, Austriæ Ducissa, amborumq; ho-
rum honestissimorum conjugum liberis, Ortolpho & Willtru-
de, in hoc ipso cenobio quiescentibus, de quibus tale ibi legitur
epigramma. Ortolph, Wiltrudis huic claustro causa salutis,

Poscunt obsequia sub munere quotidiana:

Hemma quibus mater, Rapatho quippe pater.

Templum Summuntorianum beatæ Virginis Mariæ & S. Pe-
tro Apostolorum principi dicatum & consecratum est anno
Domini 1074. indictione duodecima, ab Imbricone, Episcopo
Augu-